

De Georgianis et eorum moribus et ritibus.

Orientis regione alius quidam populus inhabitat. Longo terrarum tractu a terra promissionis distans. cuius dominium extenditur usque ad caspios montes. bellicosus valde et in plijs strenuus. fortis robore et innumera pugnatorum multitudine copiaque habundans sarracenis. persis. medis. assyriisque in quorum consinio commoratur formidabilis valde. Et licet iste populus undique infidelibus sit circumseptus atque conclusus. ab omnibus tamen timetur nec facile vexatur. **H**ij homines a sancto georgio. georgiani vocantur. quoniam in suis plijs contra paganos precipuum habentes aduocatum et patronum. tamquam signiferum omni cum honore venerantur et colunt. **D**e istis multi morantur Ierosolymis. diuersa loca sancta occupantes. specialiter tamen montem caluarie et foramen illud in quo crux stetit quando christus in ea expirauit. **I**uxta quoniam locum altare quoddam habet et in eo communiter unum de suis pro custodia inclusum. **I**psi etiam in usu habent ecclesiam sanctorum angelorum ubi quondam domus Anne pontificis fuit. in qua christus de monte oliueti primum adductus. ab eodem anna examinatus fuit de doctrina sua et discipulis. et interrespondendum a ministro alapa cesus. **H**ij georgiani in omnibus et per omnia ritus et errores grecorum sequuntur in sacramentis talibus. unde scismatici haud dubium esse conuincuntur sicut et illi. **C**lerici eorum rotundas habent coronas. layci vero quadratas. Quotiescumque veniunt de terris suis Ierosolimam. loca visitaturi sancta. absque tributo et erectis vexillis. sanctam ingrediuntur ciuitatem. **N**am sarraceni nullo eos pacto molestare presumunt. timentes ne ad propria reuersi. suis consociis sarracenis vice rependant. vel maioribus eos afficiant malis. **N**obiles eorum mulieres more amazonum armis in plijs utuntur. **I**psi viri barbas nutriunt et pilos. utunturque pileis in capitibus variorum colorum. **G**reca quoque littera et lingua in diuinis utuntur officiis et scripturis. sed alias sarracenicam vel caldaicam. **E**t hec omnes superius habentur signate.